

possidet spoliari non dicitur, quamvis occupans deliciatur a possidente. Sed posito quod Sanctitas Domini Nostri possedisset, quod tamen omnino negatur, dicimus nullum spoliū ex parte dicti ducis intervenisse, quia volenti non fit spoliū, quippe de voluntate et licentia Sanctitatis Domini Nostri Leonis decimi dux ipse apprehendit possessionem dictarum terrarum, ut loco et tempore demonstrabitur, per litteras apostolicas etiam subscriptas manu Sanctissimi Domini Nostri Clementis, tunc cardinalis de

322* Medicis, et per publicum instrumentum manu publici notarii, de quibus omnibus ipsa Sanctitas Domini Nostri Clementis plenam habet notitiam, una cum magnifico domino Jacobo de Salviatis, qui nomine dicti S. Domini Nostri Leonis dictum instrumentum celebravit. Confirmantur praedicta quoniam supradictae terrae vel saltem civitas Mutinae sponte se se dederunt et dedit ipsi duci, ut loco et tempore demonstrabitur.

Dicimus praelerea quod Julius II pontifex dictas civitates per dictum ducem legitime possessa hostiliter occupavit, cum contra ipsum ducem bellum movisset, ob eam potissime causam quod ipse dux Maximiliani Caesaris partes sequeretur; quamvis ipse Maximilianus contra ipsum Julium aut contra Sedem Apostolicam eidem duci licuit etiam post longum tempus ipsarum terrarum possessionem, quam semper animo retinuerat, corporaliter recuperare. Nec propterea dici potest quod alium spoliaverit, sed quod potius se in sua possessione conservaverit, ut in iure omnibus liquet et cum opus fuerit largius demonstrabitur, ex quibus constat non esse verum quod praefata Sanctitas seu Sedes Apostolica fuerit indebite spoliata, et consequenter etiam non esse verum ipsam Sanctitatem assertam possessionem omnino retinuisse cum ab ipso duce retineretur. Nec propterea illi licere illam recuperare quia assertas defensoris et non offensoris partes profiteatur. Quapropter non putamus pro iustitia, ut etiam supradictum est, ad petitam executionem deveniri debere, ex quo liquet narrata in dicto capitulo et affirmata per agentes Sanctitatis Domini Nostri non fuisse necesse vera et cum promissio super illis a Maestate Caesarea facta intelligatur et intelligi debeat, si proposita et narrata veritate nitantur, ut latius si opus ferit de iure demonstrabimus.

Dicimus etiam quod pax et promissio quaelibet facta inter Sanctitatem Domini Nostri et Maestatem Caesarem in civitate Barchinoniae, in qua ea duo capitula quorum exemplum nobis traditum est continentur, fuit facta solum et dumtaxat ad defen-

sionem utriusque partium voluerint quam partes ipse quod ad alterius offensionem non extendatur. Propterea nisi ostendatur quod ea quae continentur in dictis capitulis duobus tendant ad defensionem altera pars alteri non tenetur utpote ex serie dictorum capitulorum et praesertim in principio secundum, cuius haec sunt verba: conclusum extitit quod huiusmodi liga et confaederatio non ad cuiuspiam offensionem sed ad mutuam dumtaxat defensionem extendatur. Verum nemo vere dixerit quae petuntur ab agentibus pro Sanctitate Domini Nostri in executionem primi capituli tendere ad defensionem Suae Sanctitatis sed magis ad offensionem ducis nostri, quam ob rem Maestas Caesarea ad talem executionem non tenetur. Comprobantur praedicta ex capitulo secundo ubi dicitur quod Caesarea Maestas teneatur assistere eidem Sanctitati Domini Nostri pro recuperandis statibus quos possidet naturaliter aut civiliter. Cum in casu nostro non appareat Sanctitatem Suam nec Sedem Apostolicam dictas terras naturaliter vel civiliter possedisse aut possidere, imo si opus fuerit demonstrabitur, Sanctitatem Suam aut Sedem Apostolicam nullam in eis possessionem habuisse vel habere, et si praefata Sanctitas, ut vicarium Christi deceret, veritatem solam in casu nostro vellet inspicere, cognosceret ac fateretur dictas terras ad Sacrum Romanum Imperium respectu dicti Domini pertinere et respectu utilis ad dictum ducem nostrum, cum ipse dux computato tempore suorum antecessorum per ducentos annos et ultra pacifice ac legitime dictas terras tenuerit ac possideret, recognoscendo eas in pheidum a Romanis Imperatoribus, ut constat ex ipsorum investituris et praecipue Caroli quarti de anno 1354 et de anno 1362 et Sigismundi de anno 1438 et Federici de anno 1452 et Maximiliani avi paterni praesentis Caesaris de anno 1494 et de anno 1509 et ipsius praesentis Caesaris Maestatis de anno 1527, et semper dictas civitates ipse dux et dicti eius praecessores, ut supra dictum est, pacifice possiderint ac Sedes Apostolica nullum in eis titulum saltem de iure validum ostendere possit, imo si aliquem habuisset contra illum per spatium centum annorum et ultra prescriptum esset. Quo circa, etiam si verum esset quod praefata Sanctitas aut Sedes Apostolica fuisset spoliata, quod tamen ut supra semper negatur, cum constet quod nullum habuerit aut habeat ius in petitorio et quia possessionis recuperatio esset difficilis, si ut petitur ei daretur ante ius cognitum in ipso petitorio dici dictam executionem nullo pacto esse faciendam et me-

323